



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.  
XII**

**Caesarius <Heisterbacensis>**

**Antverpiae, 1605**

De deuotione eiusdem quando communicabat, & de claritate quam vidit  
super altare in canone, cap. 34.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

## LIBER NONVS.

369

Richmundis ipsa Suppriori nostro Gerlaco retulit, & ipse mihi. APOLLONIVS: Si tanta claritas fuit in pane, vt opinaris, benedicto, puto magnū esse fulgorē in ipso corpore Dominico. CÆSARIVS: Hoc sequens visio prodit.

## CAPVT XXXIV.

**D**VM eadem Richmundis, sicut ab eius ore audiui, in prædicta ecclesia ad missam matutinalem staret, infra canonem, circa sacramentum maximam contemplata est claritatem. Putans primò quod radius solis per fenestram demissus illuminaret, proprius accessit, & ecce, claritas eadem sensim se oculis eius subtraxit, & intellexit statim, quia lux eadem fuisset ex claritate corporis Christi, non ex sole naturali, cuius ortum eadem hora longè præcesserat. De ipsa verò Richmude, & de eius deuotione circa illud sacramentum, mira dicturus sum. Quando verò gratia communicandi accedebat ad altare, aliquando ante perceptionem, aliquando post, labebatur, tenebatur, trahebatur, nunc mentis excessum, nunc corporis defectum incurrens, ita ut dicere posset cum Ieremia: Factus est in corde meo quasi ignis exstiens, claususque in ossibus meis; & defeci, ferre non sustinens. Videntes hæc sacerdotes, sape turbabantur & circumstantes admirati sunt. Hæc de sacerdotibus dignè celebrantibus dicta sufficient. Vis nunc audire aliqua de his, qui dignè accedunt, & tamen sacerdotes non sunt? APOLLONIVS: Volo, & desidero valde. CÆSARIVS: Quantum apud Deum mereantur gloriæ & dulcedinis, quantum gratiæ & fortitudinis, quantum salutis & honoris, dignè communicantes siue communicare desiderantes, varijs tibi pandam exemplis.

Iere. 20.

## CAPVT XXXV.

De dignis  
communicabiliis.

**N**ondum duo anni sunt elapsi, quod quædam religiosa femina in Brabantia Vda nomine, de villa que Thotinbais dicitur, ardenter nimis communicare desiderans, gratiam eandem sibi a sacerdote suo impetrari humiliiter & instanter po-

N n 5      stulauit: